DE SACRAMENTO ORDINIS, ORDINVMque inter ſe diſtinctione, vſu, & poteſtate diſputatio, Anno M. D. LXIX. in Academia Ingolſtadiana publicè propoſita.

2. TIMOTH I.

Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Idem: Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum manuum impoſitione Preſbyteri. 1. Timoth. 4.

Pro Licentia, in rebus Theologicis, obtinenda,

DEFENDIT M. GVILIELMVS SVLENIVS, SACRAE THEOLOGIAE BACCAlaureus *formatus, & Cathedralis Eccleſiæ, apud Aichſtadianos, Eccleſiaſtes, &c.*



*EX OFFICINA VVEIS*SENHORNIANA.

Anno M. D. LXIX.

DE ORDINVM INTER SE distinctione, & usu, pars prima.

I.

c. Duo sunt 12. q. 1.



EOrum, qui Christiano nomine censentur, alij sunt Clerici, alij Laici, siue populares.

Ibidem.

II. His permissum est uxorem ducere, liberos procreare, terram colere, temporalia conquirere, & ad usum possidere; causas agere, inter uirum, et uirum iudicare, & si quid aliud est eiusmodi, publicè tractare, et exercere:

Eod. c.

III. Illos à temporalium strepitu semotos, sacra conficere, & administrare, fidei mysteria tradere, Deo & Ecclesiæ inseruire, orationi & contemplationi uacare, cæterisq; Christianæ pietatis officijs assiduò intentos esse conuenit.

Ad Tit. 2.

IIII. Neq; tamen hoc ita accipiendum est, quasi eadem pietatis lex omnibus nō sit imposita: homines enim eam ob rem sunt conditi, ut Deum colant, omnesq; uitæ suæ rationes, piè, iustè, ac sanctè instituant, sed quod sacris mancipatos, isthæc, præter cætera, peculiari quadam ratione præstare deceat.

c. alia 15. q. 1. c. placuit. ead. & sequen.

V. Superius Christianorum, hoc est Clericorū genus, in duo genera deduci solet: Nam aut seculares sunt Clerici, aut regulares: Regulares appellamus, qui institutum aliquod monasticum professi sunt, aut ut illud profiteantur, sæculo ualefecerunt: Seculares uerò, qui præter Ordinem, & quæ Ordini intrinsecè adiuncta sunt, cætera cum sæcularibus communia habent.

c. decretis, c. Cleros. d. 21.

c. vni. de Cler. per sal. ord.

VI. Vtriusq; generis plures constituuntur Classes, aliæ alijs superiores. Neq; enim decet quempiam nisi per certos quosdam gradus, ad summi sacerdotij culmen ascensum moliri. Casum namq; & ruinam appetunt manifestam, quicunq; ad summi loci fastigia, posthabitis gradibus, per abrupta, contendunt.

c. cum contingat, de æta. & qual. c. Psalmista, l. 23.

VII. Infimum inter Clericos gradum obtinent, qui primam tonsuram tulerunt. Hos alij Psalmistas, alij Cantores, alij Clericos simpliciter appellant.

c. Cleros, d. 21. c. si quis suad. 17. q. 1. vtrobiq; glos.

VIII. Est autem hic gradus (tametsi ob quædam priuilegia, quæ Psalmistis cum cæteris Clericis communia sunt, inter Ordines referatur) non

non tam Ordo, quàm quædam ad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos, præparatio. Nam ut homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus, & ad alia quædam, quibusdam alijs præparari solent, ita cùm tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum eis aperitur.

Thom. 4. d. 42. Ar. 1: Actor. 18. 1. Cor. 11.

IX. *Tondemur uerò Capilli ad coronæ similitudinem, non solùm ad declarandam regiam Clericorum dignitatem, perfectiorisq; uitæ professionem ab ipsis susceptam, uerum etiam ad memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta, Seruatoris nostri capiti fuit imposita: quo nimirum Clero ascripti, eo utantur ad decus & gloriam, quod impij excogitarant ad Christi cruciatum, & ignominiam.*

Hugo lib. 2. p. 3. c. 1. Ma. 4. d. 24. c 2. Thom. 4. d. 24. Matth. 27.

X. *Deberet autem coronæ huius orbis eò latior, patentiorq; circumscribi, quò quisq; in altioris Ordinis gradu, fuerit collocatus. Vnde Episcoporum decebat esse maximam: minorem sacerdotum, minorem adhuc inferiorum ministrorum, minimam Psalmistarum.*

Cat. Pont.

XI. *Cum Psalmistis nonnihil cognationis habent, quos uulgo Conuersos, Templarios, & Hospitalarios appellant. Nam etsi eiusmodi professionis homines Clerici non sint, neq; Clericis comparentur, illo tamen priuilegio potiuntur, ut qui eos pulsauerit, non secus excommunicationi fiat obnoxius, quàm si Clerico propriè dicto eam iniuriam intulisset.*

Glos. c. sciant. de elect. in 5. & c. duo sunt.

XII. *Quatuor deinde sunt Ordines, siue gradus, qui tametsi alijs quoq; nõ leuibus priuilegijs, et prærogatiuis, præter supradicta, fruantur, & suo etiam modo sacri sint, tamen quòd alijs sacratioribus comparati, humiliores habeantur, sacrorum appellatione regulariter non ueniunt, sed minores uocantur. Sunt autem isti: Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, & Acolyti.*

D. 21. c. decretis. c. Cleros. Isido. li. 7. Ety. c. 12.

XIII. *Ostiarios et Lectores Propheta Dauid, cum domus Dei ministeria ampliaret, primo omnium instituisse fertur: Exorcistas unà cum exorcisandi modo, Rex Salomon: Acolytos Ecclesia procedente tempore sibi constituit, sicuti reliquos priores Synagogam imitata, in nouo Testamento retinuit, retentosq; uiribus, & priuilegijs auxit.*

Rad. d. 21. c. 81 Isido. loc. cit. suo li. 3. de off. ordi. c. 2 multis de æta. & qual. ordi. c. nullus d. 60.

XIIII. *Ostiarij munus est ad templi fores excubare: hæreticos, & reliquos omnes, quibus ingredi interdictum est, ab eiusdem aditu arcere: Missæ sacrificio, ne quis propius, quàm par est, sacram aram accedens, rem diuinam facientem interpellet, assistere: Sacrarium, & quæ in eo asseruantur, diligenter custodire, atq; hæc potissima Ostiariorum censetur functio.*

1. Para. 20. c. perlectis. d. 25.

c. Ostiarius, d. 23. Con. Carth. 4. c. 9.

XV. *Vnde Episcopus Minoribus administrandis incumbens, claues ex altari acceptas, ei, quem in Ostiarium uult instituere, tradens: Sic age (inquit) quasi redditurus Deo rationem, pro ijs rebus, quæ hisce clauibus recluduntur.*

Isid. d. 21. c. Cleros, Iuo d. 25. c. perlectis. Con. Carth: 4. c. 8. d. 23. c. Lector.

XVI. *Ad Lectores pertinet Veteris, & Noui Testamenti libros, eosq; præcipuè, qui inter nocturnam Psalmodiam legi consueuerunt, clara uoce, & distinctè recitare: Prophetas sonare, & interpretari: prima Christianæ religionis fundamēta fidelib. tradere, etc. Quapropter Hierarcha, præsente populo, in eorum ordinatione librum, in quo descripta sunt, quæ ad hanc functionem spectant, illis porrigens, ait: Accipite, & este uerbi Dei relatores, habituri, si fideliter impleueritis officiū uestrū, partem cum ijs, qui uerbum Dei benè administrarunt ab initio.*

c. perlectis, d. 25. Iuo li. 3. de offi. c. Exorcista, d. 23. Con. Ca. c. 7.

XVII. *Exorcistarum partes sunt, Exorcismos memoriter tenere, manus super Energumenos, & Catechumenos imponere, nomen Domini super eos, qui malè à Dæmone agitantur, inuocare. Quare cum Pontifex eos instituit, codicem, in quo Exorcismi continentur, eis tradit, dicens: Accipite & commendate memoriæ: & habete potestatem imponendi manus super Energumenos, siue baptizatos, siue Catechumenos.*

d. 25. c. perlectis, Isi. c. Cleros, d. 21.

XVIII. *Acolytorum officium est, Diaconos, & Hypodiaconos in altaris ministerio assectari, ijsq; operam dare, lumina, dum Missæ sacrificium celebratur, uel Euangelium legitur, deferre: non quidem ad effugandas aëris tenebras, quæ tunc nullæ sunt, sed in spiritalis læticiæ symbolum, simulq; ad eam lucem, sub corporalis luminis typo, designandum, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum uenientem.* Io. 1.

c. Acolytus. d. 23. Con. Carth. 4. c. 6.

XIX. *Hi cum ordinantur, ubi officij sui diligenter admoniti fuerint, Episcopus luminaria, & urceolos uacuos, quibus aqua & uinum in Sacrificiū ministratur, eorum singulis tradit, in hunc modum: Accipe ceroferrarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Rursum: Accipe urceolos ad suggerendum uinum et aquam, in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.*

Io. 2. Luc. 4. Mar. 7. Math. 8. Luc. 8. Luc. 2. Math. 4.

XX. *Ostiariū Seruator noster egit, cùm flagello ex funiculis facto, uendentes & ementes eijcit è templo: Lectorem cùm in medio Seniorum, aperto Prophetæ libro, ad Euangelizandum se missum, clarè & disertè pronunciauit: Exorcistam cum Dæmoniacos multos sanauit, surdiq; & muti linguam, & aures saliua sua contingens, dixit: Eppetach, quod est adaperire. Acolytum deniq; cum salutis nostræ causa homo effectus, his, qui in tenebis, & umbra mortis sedebant, cœlesti doctrina, incomparabiliq;*

biliq; uitæ ſanctimonia, admirabile ſalutis lumen accendit, ſeſeq; mundi lucem palam prædicauit: Ego, inquiens, ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.

Ioan. 8.

XXI. *A minoribus Ordinibus, iiſdemq; non ſacris ſimpliciter, ad maiores, et ſacros legitimus fit aſſenſus. Inter eos autem, qui maioribus initiati ſunt, principem locum tenent Epiſcopi: proximum Presbyteri: infimum Diaconi, & Hypodiaconi. Nam etſi Vrbani ſecundi temporibus, Hypodiaconi ſacris Ordinibus non annumerarentur, poſtea tamen declaratum eſt, hunc quoq; Ordinem ſacrum eſſe, atq; ideò ex eo, ad Pontificiam dignitatem aditum patere.*

c. a multis, de æta. & qual. ord. Inno. 3. c. nullus d. 60. Vrbanus Pap.

XXII. *His omnibus, præter horarum Canonicarum penſum, commune eſt, perpetuæ continentiæ legi obſtrictum eſſe: Nam quicunq; ſacris ſemel initiati ſunt, iis, citra piaculum, nũquam amplius ad Matrimonij uſum aſpirare licet: multo uerò minus ad concubinatum, uel aliud quodcunq; eiuſmodi carnis flagitium.*

De cel. Miſ. c. 1. Thom. 4. d. 15. & quod. 6. c. de illo. d. 32. c. Interdixit, c. omnium. ead.

XXIII. *Hac autem continentiæ, & precum horariarum lege, in inferioribus conſtituti, quatenus hic conſtituti ſunt, non tenentur. Vnde ſi ad ſuperiores Ordines progredi noluerint, matrimonium inire, & ſobolem procreare, cæteraq; omnia, quæ ſæcularibus interdicta non ſunt, liberè poſſunt exercere.*

27. Can. Apo. c. Si quis eorum c. Lectores, c. Subdiaconis, d. 32.

XXIIII. *Veruntamen ſi qui ex eorum numero ſponte ſemel contraxerint, non ſolum ad ſacros Ordines, & Eccleſiaſticas dignitates, & adminiſtrationes in poſterum non admittentur, uerum etiam Sacerdotiis, ſi qua forte ante contractum coniugium obtinuerant, priuãdi erunt: quandoquidem Mariti ſine grandi ſcandalo, atq; adeò ſine certa Eccleſiaſticorum bonorum pernicie, Sacerdotiis præeſſe uix queunt.*

c. Eos qui, c. Erubeſcant, c. Nemo, c. Seriatum, d. 32.

XXV. *Munus Subdiaconorum (ut nomen ipſum ſonat) eſt, Diacono ad altare inſeruire, lintea, uaſa, panem, uinum, cæteraq; omnia ad uſum Sacrificij neceſſaria, parare: Epiſcopo & Sacerdoti, cùm manus inter agendum, abluunt, aquam præbere: Epiſtolam, quæ olim à Diacono in Miſſa recitabatur, pro uiuis & defunctis legere: ad ſacram aram, ne myſta ſacris operans, à quopiam perturbetur, aſtare. Cætera, ſi quæ ſunt, ad Hypodiaconorum miniſteria, pertinentia, uix melius aliunde didiceris, quàm ex ſolennibus ritibus, & cæremoniis, quæ in illius conſecratione adhibentur. Sunt autem hæ, quæ ſequuntur, præcipuæ.*

c. Cleros, d. 21. c. Perlectis, d. 25. Hugo, lib. 2. p. 3. c. 9. Ma. ſent. 4. d. 24. c. 7.

XXVI. *Primò poſt ſolennem Litaniarum precationem, accuratamq; eorum munerum, & functionum expoſitionem, quæ Hypodiaconorum*

c. Subdiaconus, d. 23. Con. Cart. 4. c. 5. Ma. ſent. d. 24. c. 7.

conorum sunt propria, Episcopus eorum singulis, qui ordinantur calicem, & sacram patenam porrigit: Archidiaconus uerò, urceolos uino, & aqua plenos, unà cum lebete, & linteo, quo manus abstergumur, dicente interim mystagogo: Videte fratres cuiusmodi ministerium uobis traditur; Ideoq; uos admoneo, quò ita uos exhibeatis, ut Deo placere poßitis: Deinde nonnulla rursum precatus, unumquemlibet eorum sacris uestibus exornat: ad quarum etiã singulas propria uerba, et cæremoniæ adhibentur: Postremò Epistolarum librum: ijs tradit, dicens: Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tám pro uiuis, quám pro defunctis.

Pont.Rom.

XXVII. Diaconorum porrò ministerium, ut inferiorum omnium Ordinium latius patet: ita ijsdem multo semper augustius est habitum. Ad Diaconũ enim pertinet Episcopum semper sequi: concionantem custodire, eiq;, & Sacerdoti sacra facienti, uel alia Sacramenta administranti, præsto esse.: In Missæ sacrificio Euangelium legere, fidelium animos, ut sacra attendant, subinde excitare, sanguinem Domini, sicubi inter syncerè Catholicos ea consuetudo adhuc obtinet, ut fideles Eucharistiam sub utraquè specie sumant, ministrare, Ecclesiasticorum bonorum dispensatorem agere, quibusq; oportet, ad uictum necessaria subministrare: qui in urbe piè, & religiosè uiuunt, qui item secus faciunt, diligenter peruestigare, & obseruare: ut cum de omnibus Episcopum certiorem fecerit, ille uel priuatim, uel publicè, prout se magis profecturum intellexerit, unumquemq; officij sui poßit admonere.

c.Cleros, d.21. c. perlectis, d. 25. Iuo li.3. de offi. Ma.4.d.24. c. 8.

c. Diaconi Ecclef. c. Diaconi sunt, d.93.

XXVIII. Solent præterea quibusdam in locis, Diaconi Catechumenorum nomina recitare, eosq;, qui Ordinis Sacramento initiandi sunt, ante Episcopum sistere: Eucharistiam, si Sacerdos absit, uel mandet, administrare: infantes etiam cum solennitate baptizare: Euangelium explanare, non tamen ex superiori loco facere id deberent, ut intelligatur hoc eorum proprium munus non esse: et alia deniq; eiusmodi complura, cum neceßitas postulat, uel mystagogus iniungit, præstare.

c Præsente, c. Diaconos, d.93.

XXIX. Quanta uerò diligentia adhibenda sit, ne quis eo munere indignus, ad hunc Ordinis gradum ascendat, id non solùm Apostolus ostendit, dum ad Timotheum scribens, Diaconi mores, uirtutem, & integritatem exponit: Oportet (inquiens) Diaconos pudicos esse, non bilingues, non multo uino deditos, habentes mysterium fidei in conscientia pura; uerum etiam ex ritibus, quibus Ordinis huius candidati, ini

1.Timo.3.

ti, imitantur, apertè id elucescit. Nam, præter manuum impositionem, multo hic, & plures sanctioresq; preces, & plura quoquè augustiora q; sacrarum uestium ornamenta, quàm in nullo alio inferiori Ordine adhibentur. c. Diaconus, d. 23. Con. Carth. 4. c. 4.

XXX. Non est autem hoc loco prætereundum, quos nunc græco uocabulo nuncupamus Diaconos, eos uel ex muneris similitudine, uel ex authoris nomine, uetustiores Patres appellasse Leuitas. Præceperat enim Moysi Dominus, uti post ordinationem Aaron, & filiorum eius, tota prorsus tribus Leui diuino cultui dedicaretur, dedicataq; coram Aaron, & filijs eius, Israelis loco, in tabernaculo perpetuò famularetur. Hug. li. 2. p. 3. c. 16. c. Cleros, d. 21 Num. 3. 4. 8.

XXXI. Solent ijdem nonnunquam etiam Sacerdotum appellatione uenire: sed si id non falsa, certè minus propria. Nam is propriè Sacerdos appellari non potest, cui peccata remittere, aut sacrificium in altari perficere, permissum non est: Diaconis autem neutrum permitti, in cõfesso est. Neq; enim Leuitis quantũlibet sanctis, moribusq;, uel ætate grauibus, in sua ordinatione dicitur: Accipite potestatem sacrificium Deo offerendi, Missasq; celebrandi, &c. Rursum: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. sed Sacerdotibus tantum: siue ea potestate benè, & legitime quandoq; utantur, siue nunquam. Explosa namq; iam dudum est eorum sententia, qui dicebant Noui Testamenti Sacerdotium, nudum esse ministerium prædicandi Euangelia: eosq;, qui non prædicant, uel mysteria fidei non administrant, non esse Sacerdotes. Non oportet, d. 43. Pontificale Roma. Ioan. 20. Syno. Trid. sess. 23. c. 1.

XXXII. At quoniam in præcipuas Sacerdotij functiones opportunè iam incidimus: Aduertendum est in sacris literis duplex Sacerdotium insinuari: alterum internum & inuisibile: alterum externum & uisibile. Interius commune est omnibus salutari aqua ablutis: Externum uerò non toti fidelium multitudini conuenit: sed ijs tantum, qui legitima manuum impositione, solennibusq; sanctæ Ecclesiæ cæremonijs instituti, & Deo consecrati, ad aliquod proprium, sacrumq; ministerium asscripti sunt. Apo. 1. Psalm 50. Rom. 12. Matth. 28. Mar. ult.

XXXIII. Ad interius Sacerdotium pertinet illud: Christus lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri. Item illud: Ipsi tanquam lapides uiui superædificamini domus spiritales, Sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM. Apo. 1. 1. Pet. 2.

Rursum

Rom.12. *Rursum illud: Exhibete corpora uestra hostiam uiuentem, Deo placen-*
Psalm 50. *tem, rationabile obsequium uestrum.* Item illud Dauidis: *Sacrificium*
Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non de-
Ioan.20. *spicies.* At externum uerò illud: *Sicut me misit pater, & ego mitto uos.*
Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur
Matth.18. *illis, &c.* Item illud: *Quæcunq; alligaueritis super terrã, erunt ligata et in*
Mar.16. *cœlis, &c.* Rursum illud: *Euntes in mundũ uniuersum, prædicate Euange-*
lium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, & Spiri-
Lucæ 23. *tus sancti.* Deniq; illud. *Hoc facite in mei commemorationem.*

XXXIIII. Hoc Sacerdotij discrimen in Veteri quoq; lege ob-
seruari potest: Nam de interiori Regum Prophetam locutum fuisse, du-
Psal. 50. Exo.28.29. bitat nemo. De externo uerò Sacerdotio, non modò permulta mandata,
Nume.3.4.8. & præcepta Moysi, & Aaron dedit Deus: uerum etiam uniuersam tri-
bum Leui, (ut modo dicebamus) eamq; solam, templi ministerio asscripsit.
Vnde cum Ozias Rex, quem Leuiticum genus non agnoscebat, temerè
2.Para.26. Sacerdotium usurpasset, lepra percussus, grauißimas arrogantiæ suæ
pœnas exoluit.

Genes.4.8.14.15.22. XXXV. At uerò ut maximè, præter internum, alterum quoq;
Iob 1. externum Sacerdotiũ, cum apud Iudæos, tum etiam apud Legis naturæ
patres, cæterasq; ætatum omnium nationes, in usu semper fuerit, nostrum
tamen, hoc est Euangelicum, tantum præstat cæteris omnibus, quæ Chri-
stum passum antecesserunt, quantum Euangelium legi, uel Christus præ-
Ad Hebræ.3. stat Moysi. Est enim Sacerdotij huius uis, & dignitas tanta, quantam
animo concipere, uel uerbis exprimere non ualemus.

Ad Hebræ.7. ead.6.5. XXXVI. Et quoniam uis illius, & præstantia summa existit, de-
centißimum quoq; fuit, ut non quiuis promiscuè ad illud exercendum ad-
mitterentur: sed selecti, & inaugurati, solenniq; ritu, & cæremonia, in
hunc usum cõsecrati. Hanc autem inaugurationem, solennemq; consecra-
tionem Maiores nostros imitati, Ordinis Sacramentum appellamus.

Con. Flo. in decr. Vnionis, Consta. sess.8. Tride: sess. 23.c. Ad obolendam, de Hæret. D.Thom. 4.d. 24.q.1. XXXVII. Nam etsi Ordo, si propriam eius notionem spectes,
aliud nihil sit, quàm dispositio quædam superiorum, & inferiorum re-
rum, quæ ita inter se aptæ sunt, ut una ad alteram referatur, Patres ta-
men, ut ministrorum dignitatẽ, & excellentiã, uariasq;, & inter se distin-
ctas Sacerdotij functiones indicarent, Ordinis uocabulo uti uoluerunt.

Matth.20. Mar. 14. Lucæ 23. Io. 20. Act.6.7.13. XXXVIII. Quod autem sacra Ordinatio, inter cætera Ec-
clesiæ Sacramenta annumeranda sit: id, ut Patrum traditio, Ecclesiæq;,
& Scripturarum auctoritas maximè deessent, uel ex ritibus, et cæremo-
nijs,

nijs, quibus Sacerdotij munus traditur, euinci posset. Siquidem Episcopus cum aliquem Sacerdotem instituit, primum quidem manus illi, unà cum omnibus Sacerdotibus, qui adsunt, imponit: deinde stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit: postea manus sacro oleo inungit: tum uerò calicem cum uino, & patenam cum hostia tradens, dicit: Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, &c. Ad extremum manib. iterum eius capiti impositis: Accipe (inquit) Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, &c.

1. Timo. 4. 2. Timo. 1. ad Tit. 1. Con. Carth. 4. Tole. 8. c. 7. Flor. Cõcil. Trident. Leo 1. in ep. 79. & ep. 89. Inno. 3. de Presby. non bap. c. veniens. Dionys. Areop. c. 5. hc. Hier. Aug. lib. de bono coniug. c. 24. Ambros. in Epist. 1. ad Cor. D. Thom. Ricar. Dura. Scotus. Alber. Palud 4 d. 24.

XXXIX. *His porrò uerbis semper docuit Ecclesia, & etiamnum docet, potestatem consecrandi Eucharistiam, noxasq; remittendi, charactere animo impresso, tradi: cui gratia adiuncta sit, ad illud munus ritè, & legitimè obeundum: Id quod etiam Apostolus hisce uerbis confirmat Admoneo te (inquit) ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* 2. Timo. 1.

XL. *Rectè proinde cum sacra Synodo Tridentina, eos execrantur pij omnes, qui oppositum asseuerant, uel hactenus asseuerarunt. Si quis (inquit illa) dixerit Ordinem, siue sacram Ordinationem non esse uerè, & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, neq; per eam dari Spiritum sanctum: ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, &c. anathema sit.* Sess. 23. c. 3. et 4.

XLI. *Quamuis autem Sacerdotium, de quo nunc agitur, unum sit, plures tamen dignitatis, & potestatis gradus in se continet. Etenim quidam eorum, qui Sacerdotio funguntur, in inferiori Sacerdotij gradu constituti sunt, ut illi quorum præcipua munera, iam proximè exposuimus: alij in altiori ordine sunt positi, ut Episcopi.* c. Decretis, d. 21.

XLII. *Sumpsit autem, istud maiorum minorumq; Sacerdotum discrimen, exordium suum nõ ex nato aliquo, uel formidato schismate (ut quidam falso opinati sunt) uerum ab ipso Christo, Deo & Redemptore nostro Hic enim duodecim Apostolos, quasi maiores Sacerdotes, Septuaginta uerò duos discipulos, tanquam minores Sacerdotes instituit. Petrum autem, dum illi præ omnib. cæle stis regni claues promittit, ouesq;, & agnos, pro quibus animam suam posuerat, pascẽdos commisit, in Pontificem Maximum elegit.*

Eadem dist. & c. c. Legimus. d. 93. & c. olim, d. 95. Matth. 10. Mar. 5. Luc. 10. c. Decretis. d. 21.

XLIII. *Porrò autem Apostoli formam Christi secuti, ordinarunt & ipsi quoq; in singulis ciuitatibus Episcopos, et Presbyteros: Diaconos uerò, quorum maximus fuit Stephanus, post ascensum Domini in Cœlum,*

c. Decretis. d. 21. Ad Tit. 1. Actor. 6. c. Dominus noster, d. 93.

B

lum, constituerunt. Subdiaconos autem, reliquosq; inferioris loci ministros, postea temporis lapsu Ecclesia sit, constituit.

Con. Trid. sess. 23. c. 7.

c. Manus quoq. de cons d. 5. Hier. ad Rusti. c. ecce ego, d. 95.

XLIIII. *At verò licet Episcopi priuatis Presbyteris, nō solum loco, & dignitate, sint maiores, uerum etiam Ordine & potestate, (soli namq; Episcopi Sacerdotes ordinant, soli aras, Ecclesias, et uirgines consecrant, soli baptizatos ex officio Confirmant, cōfirmationisq; materiam parant, soli solenniter pœnitentes Ecclesiæ conciliant, &c.) multa tamen illis cum Sacerdotibus, cæterisq; Ecclesiæ ministris communia sunt.*

c. Cleros, d. 21. Isid. li. 2. c. 1 de Ecclesi. officijs.

Gloss. c. nec numerus, 10. q. 3. c. Scitote. 6. q. 3.

XLV. *Sunt autem Episcopi in quatuor classes distributi. Quidam namq; corū sunt Metropolitani, alij Monopolitani, alij Primates, alij Patriarchæ. Monopolitani, qui & Episcopi simpliciter dicuntur, singulis ciuitatibus, seu potius singulis Diœcesibus præsunt: Metropolitani, qui et Archiepiscopi nonnunquam appellantur, singulis prouincijs præsident: Primates pluribus Metropolitanis: Patriarchæ deniq; pluribus Primatibus præficiuntur. Diœceses Dionysius primus distinxisse fertur. Prouincia decem aut undecim ciuitates complectitur.*

Pauin. in tract. de potest cap. sede vacante.

XLVI. *Primatum in Anglia quondam obtinebat Cantuariensis, in Germania Magdeburgensis, in Vngaria Strigoniensis, in Francia Viennensis, & Bituricensis, in Italia Gradensis, qui & Venetus, Pisanus, & Aquileiensis, in Hispania Toletanus, in alijs prouincijs lōgè positis alij: neq; enim nobis de omnibus remotioribus compertum est.*

c. Vrbes. c. In illis, c. Episcopi, c. Illud sanc. d. 80. c. decretis, d. 21.

XLVII. *Hi omnes interdum Patriarchæ nuncupantur: siquidē proditum est Apostolorum Principem, in illis ciuitatibus, in quib. olim apud Ethnicos primi flamines, illustrioresq; legum Doctores florebant, Episcoporum Primates, & Patriarchas institui præcepisse: In illis autem locis, in quib. dudum apud prædictos gentiles agebant corū Archiflamines, Metropolitanos: In singulis uerò numerosiorib. ciuitatib singulos Episcopos.*

c. Antiqua. de priuileg. Con. Later. max. c. Omnes, c. Sacrosancta, c. Renouantes, d. 22. Sancta Romana, in extr. cōmmu. Anac. ep. 3 ad omnes epi. c. Sacrosa. d. 22. Lib. ep. 2. ad Italiæ epi. c. Porro, d. 66. Isid. lib. 2. de eccl. offi. c. Cleros, d. 21. Ma. sent. 4. d. 24. c. 12.

XLVIII. *Verum utcunq; hæc in præsentiarum habeant, quondamuè habuerint, certū est priorib. temporibus, præter summū Pontificem, quatuor duntaxat Patriarchas, in uniuersa Ecclesia agnitos fuisse: nimirum Constantinopolitanū, Alexandrinū, Antiochenū, et Hierosolymitanum.*

XLIX. *Primum porrò Patriarchā Hierosolymitanū egisse creditur Iacobus frater Domini: Primum Antiochenū, Petrus Apostolorū uertex: Primum Alexandrinum, Marcus Euangelista, eiusdem Petri discipulus: Primum Cōstantinopolitanum, quorundam sententia, D. Andreas Apost.*

L. *Cæterum licet Episcopus, Archiepiscopus, Primas, Patriarcha, diuersa sint nomina, oēs tamen eodem Episcoporum nomine continentur, sola*

Iuris-

Iuris dictionis latitudine, inter se differentes: siquidem Episcoporum Iurisdictio magna est, maior Archiepiscoporum, & Patriarcharum, maxima summi Pontificis. Hic enim unus, quòd in Petri Apostolorum principis Cathedra sedeat, eiq; in potestatis plenitudine succedat, non tám urbis, quam orbis Patriarcha existit.

c. Si quis putauerit. 2. q. 6. Sixtus Pp.

LI. *Sunt nihilominus, et alij quoq; Episcopi, et Ecclesiarum præsides, à Deo instituti, & in solitudinis partē uocati, non tamen in plenitudinem potestatis, ut Pontifex Romanus. Eius enim, ut modo dicebamus, autoritas summa est, et priuilegia maxima. Solus hic iudicat alios oēs, à nemine aūt, excepta hæresis causa, iudicatur: quæstionem de fide agitatam, maioresq; Ecclesiæ causas, et controuersias, solus decidere potest: Cōcilia generalia, eorūq; decreta solus approbat, uel improbat, cōgregat, uel dißipat: solus Episcopos transfert, & sedes eorum mutat: solus deponit, depositosq;, restituit: solus cum opus est, Episcopatus duos in unum coniungit: unum rursus in duos, uel in plures diuidit: solus uota commutat, rigorē Iuris, in uindicandis criminibus, relaxat, Presbyterorum filios, & alios illegitimos dignitatū capaces reddit: solus denique sentētias, nulli appellationi subiectas ferre, & alia id genus quamplurima potest facere.*

c. Decreto. 5. q. 2. Grego. Pp.

c. Qui se sciit. 2. q. 6. c. Nouatianum, 7. q. 1. c. Mandatus 2 q. 5. Gl. ibid. Sixtus Pp. ep. ad omnes Ep. c. Inter corporalia, de tran. Epi. c. Quod transl. de off. Lega. Inno. 3 Pp. c. Sicut vni, de excess. Prael. Celestinus 3. Pp.

LII. *Ideò aūt tanta sanctæ Romanæ Ecclesiæ priuilegia specialiter sunt concessa, ut ab ea, tanquam à pia, & communi matre, omnes oppreßi auxilium, & iniustè damnati, restitutionem petant, sumantq;.*

c. Ideo huic, c. Ad Romanam, c. omnes Epi. c. si quis vestrum, 2. q. 3.

LIII. *Erant olim quidam quoq;, qui Choriepiscopi dicebantur, Episcopis quidem inferiores, Presbyteris autem maiores. Hi non solum ciuitatibus, quemadmodum Episcopi, sed etiam uicis præfici poterant: Sed eorum hodie nullus est usus.*

c. Choriep c. Quia uis, c. Ecclesijs semel, d. 68.

LIIII. *Cardinalatus autem dignitas est, & officium, non etiam Ordo, per se à cæteris distinctus: Quod uel ex eo constat, quod Cardinalium alij sint, et appellentur Episcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi: siquidem nemo Cardinalis effici debet, qui infra Diaconorum ordinē sit constitutus: Quemadmodum etiam neminem Diacono inferiorem, suffragiorum iure, inter Canonicos potiri decet: etiamsi ab alijs Canonicis suffragiorum ius, ad ipsum fortè delatum fuerit. Verum ut quis Canonicus esse queat sufficit eum Psalmistam esse creatum.*

De maio. et obed. Feli. Abb. c. extirpandæ, de præbend. & digni.

c. Vt hi, de æta. & qual. ord. in Cle. Syn. Trid. sess. 22. c. 4.

LV. *Habent nihilominus Cardinales, propter eius dignitatis prærogatiuam, Pontificiam iurisdictionē in Ecclesijs, sibi in titulum aßignatis, alijsq; ipsi titulo subiectis: Ipsis quoq; Episcopalib. insignibus uti fas est: minores Ordines conferre, solenniter benedicere etiāsi Episcopi, uel Sacerdotes non sint.*

Abb. c. His, quæ, de maio. & obed. Feli. c. Cum venerabilis, de except. Pau. tracta. de visi p. 1.

B 2 *Munus*

Doct. in Rubri. de constitu. Abb. c. nouit. de his, quæ fi. a præl. Con. Later. sub Leone 10. Sess. 9. c. 6.

LVI. *Munus horum proprium est summum Pontificem eligere, electiq; lateri adhærere, quo consilium suum moniti, in grauissimis quibusuis Ecclesiæ negotijs, impartiri possint: quod omnino ut obseruent grauiter non ita pridem in Concilio Lateranensi sub Leone eius nominis Decimo cautum est.*

DE ORDINVM MINISTRIS, deq; ijs, qui literas dimissorias dandi ius habent.

Pars secunda.

I.

Con. Flo. Thom. 4. d. 25. omnes doct. & iura omnia.

POtestas assignandi supradictos Ordines, *est penes Episcopos, non tamen omnino absoluta: Nec enim fas est Episcoporum cuilibet, quemlibet ad Ordines promouere, sed subditos suos tantum. Quod si quem alienum, absq; propriorum Episcoporum licentia, ad Ordines quoscunq; promouisse eum contigerit, totum annum potestate coaptandi quempiam ad Ordines, priuatus erit: etiamsi subratihabitionis spe id factum fuisse allegetur.*

c. Sæpe contingit, c. Eos qui, de temp. ord. in 6. Eod. tit.

c. Nullus alterius, c. nullus primas, c. placuit. c. Nullum & sequen. 9. q. 2.

II. *Sed neq; hæc potestatis Episcopalis limitatio, in solo Ordinum ministerio locum habet: uerùm etiam in cæteris similib. omnibus. Etenim perpetuo sanctè, ac strictè seruādum est, ut nemo Episcopus alienum Parœcianum iudicare, uel excommunicare, uel etiam absoluere præsumat: neq; alterius ciuitatem adeat, ut quicquam ibi disponat, ordinet, uel iudicet, nisi ab eo fuerit euocatus, cuius iuris ea ciuitas esse cognoscitur.*

d. c. Nullus primas, Callistus Pp. ep. 2. ad Ep. Galliæ. Deut. 19. Prouer. 22.

III. *Quod si quid huiusmodi, inter alterius Præsulis limites, usurpatum fuerit, totum istud nihil prorsus uirium, aut roboris obtinebit. Nec enim alterius, sed sui tantum iudicis sententia ligat, aut soluit. Vnde etiam Dominus in Deuteron: grauiter uetat, ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri.*

c. 4. Sess. 6.

IIII. *Hoc Callisti decretum confirmat Synodus Tridentina, his uerbis: Nulli (inquit) Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere: nisi de Ordinarij eius loci expressa*

pressa licentia, & in personas eidem ordinario subiectas tantum: & si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati, ab executione Ordinum, sint ipso iure suspensi.

V. Sanxit eadem quoq;, ut nemo Episcoporum, quos Titulares uocant, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusuis Ordinis resederint, aut moram traxerint, uigore cuiusuis priuilegij sibi de promouendo quoscunq; ad se uenientes, pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis, absq; proprij Prælati expresso cōsensu, aut literis dimissorijs, ad aliquos sacros, aut minores Ordines, uel etiam ad primam tonsuram promouere, seu ordinare ualeat. Rursum ut contra faciens, ab exercitio Pontificalium per annum, taliter uerò promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato uisum fuerit, ipso iure sint suspensi. c. 2. Sess. 14. Ibidem.

VI. Quod si usu quandoq; ueniret, ut Episcopi, qui ordinandi ius habent, ægritudine, uel alia causa impediti, per semetipsos Ordines conferre non possent, non ideo tamen debebunt subditos suos ad alium Episcopum simpliciter amādare, sed probatos, & ante diligenter examinatos, quàm etiam examinationem, & probationem scripto extare oportebit. Bad. Syn. c. 3. sess. 23.

VII. Qua de re Synodus Tridentina eiusmodi constitutionem ædidit. Vnusquisq; (inquit) à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei etiam cuiuscunq; generalis, aut specialis rescripti, uel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, & mores, Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario uidebitur expedire, sit suspensus. c. 8. sess. 23.

VIII. Sed neq; familiarem suum, origine, uel beneficio, uel domicilio, sibi non subditum, Episcopo ordinare fas est, nisi is saltem per triennium secum fuerit commoratus. Quamuis ne hoc quidem casu facere id debeat, nisi beneficium Ecclesiasticum, quacunq; etiā fraude cessante, statim reipsa abs se taliter ordinato conferat, consuetudine immemorabili non obstante. c. 9. eiusdem sess. 23.

IX. At uerò alij Prælati Episcopis inferiores, tam religiosi, quàm seculares, cuiusmodi sunt Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, &c. non possunt subditis suis potestatem facere, alienos Episcopos adeundi, c. Cum nullus. de temp. ord. in 6.

ut ab ijs ad Ordines promoueantur: nisi hoc priuilegium specialiter à summo Pontifice concessum eis fuerit.

X. *Quid? quod neq; Officialibus Episcopi commendaticias literas dare liceat, nisi uel mandato speciali à suo Pontifice hoc iuris habeant, uel certè Episcopus in longinquis oris ætatem agat? Nam cum Episcopi longius absunt, tum demum generales ipsorum Vicarij in spiritualibus, literas eiusmodi commendatitias legitimè communicant. Quod si sacrum interregnum sit, sedes ue uacet, Capitulum, uel is, ad quem, sede uacante, spiritalium administratio deuoluta fuerit, eiusmodi literas concedent.*

Gloss. in d. c. nullus Epi. de temp. ord. in 6.

c. Cum nullus, de temp. ord. in 6.

XI. *Veruntamen noua Con. Trid constitutione, infra annum à die uacationis, nō licet Ecclesiarum Capitulis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reuerendas, ut aliqui uocant, tàm ex iuris communis dispositione, quàm etiam cuiusuis priuilegij aut consuetudinis uigore, alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, siue recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere.*

Syn. Trid. sess. 7. c. 10.

XII. *Quod si secus fiat (inquit eadem Synodus) Capitulum, quod contra uenit Ecclesiastico subijciatur interdicto: & sic Ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: In maioribus uerò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ipso iure sint suspensi.*

Bad. sess. & c.

XIII. *Facultas uerò de promouendo à quocunq;, eadem ipsa Synodo diffiniente, non suffragatur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs eorum Episcopis ordinari non possint, in literis expressam: & tum quoq; ordinari non debent, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.*

Sess. 7. c. 11.

XIIII. *Si quis Episcopus loco renunciauerit, & dignitati, ordinesq; sacros (nam de minoribus alia est ratio) scienti contulerit, executionem officij talis collatio non sequetur: Cum ignorante autem eiusmodi abdicationem, discretus Pontifex, mitius poterit agere: nisi forsan crassa, & supina ignoratione id accidisset. Eo enim in casu solus Pontifex summus dispensabit.*

Alexan. 3. ep. ad Epi. Tolet. c. Requisiuit, de ord. ab ep. qui.

Abb. in d. c. Requisiuit.

XV. *Erit autem probabilis ignoratio si Episcopus in Curia renunciauerit, idq; tacuerit, uel palàm inficiatus fuerit: At uerò qui loco tantum, non etiam dignitati renunciarunt, id quod in dubio præsumi solet, ijs non secus, ac prius Ordines ab Episcopo rogatis, subdito illius conferre licebit.*

d. c. Requisiuit, & sequenti. de ord. ab ep. q. ri. & Abb. ibid.

XVI. *Præfecti locorum non exemptorum, eorumq; socij, ab Episcopis promoueri possunt, in quorum Diœcesi resident, quam diu ibi morantur, quamuis inde ipsi oriundi non sint.* c. Cum nullus, de temp. ord. in 6.

XVII. *Græci à Latinis, & uice uersa, ubi eorum differunt ritus, ad Ordines proueh non possunt: ne rituum diuersorum fiat confusio. Quod si quando usu ueniat, ut eidem Episcopo subsint populi diuersarum linguarum, diuersorumq; rituum, curabit is uiros idoneos, qui iuxta eorum ritus, eis Sacramenta Ecclesiastica propinent, ac diuina officia celebrent, ijsdem præfici.* c. Cum secundum. c. Quod ad translationem, de temp. ord.

XVIII. *Transalpinus ab Italo Episcopo Ordinum consociationem postulans, admitti non debet, nisi uel à summo Pontifice specialem licentiam habuerit, uel Episcopi, cui ille subest, literas patentes legerit: Quæ causam ad hoc idoneam testentur, quare ipsum noluerit, aut etiam non potuerit ad Ordines petitos admittere.* c. Sæpe contingit. de temp. ord. & Gloss. ibidem.

XIX. *Quos uerò contra præmissa ordinari contigerit, eos (inquit Pontifex) manere uolumus absq; spe dispēsationis super hoc à sede Apostolica obtinendæ, suspensos, ac ordinantes condigna pœnitentia puniri, Omnibus interim pœnitentiarijs nostris inhibentes districtè, ne absq; licentia nostra speciali, cum taliter ordinatis dispensent, uel suas ijs tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari.* d.c. Sæpe contingit, de temp. ord. in 6. Clē. 4.

XX. *Presbyter Episcopalem iurisdictionem habens, & Abbas Presbyterorum Ordini associatus, & benedictionis munere donatus, possunt Psalmistas creare: Non tamen licet eiusmodi Abbatibus etiam exemptis, si intra Diœcesin alicuius consistant, cuiquam, qui regularis, sibiq; subditus non sit, primam tonsuram, uel minores Ordines conferre. Nam & hos quoq; conferre solent.* c. Cum contingat, de æta. & qual. ord. & Abb. ibid. c. Quoniam. c. Tonsura. d. 69. & Gloss. ibid. c. Requisiuit, de ord. ab ep. qui.

XXI. *Sed neq; eiusmodi Abbates, neq; alij excepti, aut Collegia, uel Capitula quæcunq;, etiam Ecclesiarum Cathedralium dare possunt literas dimissorias Clericis sæcularibus, ut ab alijs ordinentur; sed horum omnium Ordinatio, & concessio ad Episcopos, inter quorum Diœcesin consistunt, pertinent: non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiamsi hominum memoriam excedant: qui uerò contra Synodalis decreti huius formam dimissorias concedunt: ij, suspensionis meritum certò sibi asciscunt.* Synod. Trident. sess. 23. c. 10.

XXII. *Non solum autem hæretici, & excommunicati, uerum etiam suspensi, interdicti, et exauctoritati uera Sacramenta: uerosq; Ordines conferunt si tamen inter conferendum, intentionem, quam oportuit,*

habeant:

c. Si quem 24. q. 1. Aug. li. 2. con. ep. Parme. c. 13. et li. 2. de vni. bap. con. Par. Greg. li. 2. ep. 32. c. Sicut. d. 68.

habeant: traditamq́; ab Ecclesia, formam seruent: etiamsi ordinati, eos, qui sibi manus imposuerant, ab Ecclesia praecisos fuisse, non ignorassent: Ordines tamen sic collatos executio nequaquam sequetur: neq; cum scientibus eiusmodi impedimentum, facile erit dispensandum.

Summistæ verbo Ordo. Vet. irregularitas, Vet. Simonia. &c.

XXIII. *At multo uerò minus uenia digni erunt eiusmodi, si illi, qui Ordines contulerunt, dum in Episcopos cooptarentur, extremam manus impositionem, extra Ecclesiam Catholicam acceperunt, aut iterata unctione, uel ablutione polluti sunt: aut Simoniacè à Simoniaco ordines susceperunt: aut deniq; in fidei nostræ perniciem, Catholicæq́; Ecclesiæ contemptionem, hæreticis adhæserunt. Est tamen magna in his omnibus summi Pontificis potestas.*

c. Cum in distribuendis. de temp. ord.

c. Per tuas. de maio. & obe.

XXIIII. *Si quando accidat, ut quispiam à summo Pontifice, ad aliquem ordinem euehatur, non poterit is ad alios Ordines sublimiores, ab alio pariter, quàm à summo Pontifice promoueri, licentia ipsius summi Pontificis non impetrata: Ob id tamen non subtrahitur Ordinarij potestati.*

Doct. 4. d. 24. & 25. & alibi.

XXXV. *Sacræ unctiones, quibus Ecclesia per ministros suos, inter ordinandum utitur, ita de Sacramenti huius ratione existunt, ut tamen non sit nullum, si quacunq; ex causa omittantur: Idem fortaßis de ijs rebus statui potest, quæ materiæ locum hic subeunt. Tota namq́; mysterij huius uis, in potestatis traditione consistere creditur.*

Syn Trid. sess. 7. c. 13 & sess. 23. c. 5.

Scholæ, Patres, Summistæ.

XXXVI. *Peccant nihilominus grauißimè non solum, qui istiusmodi cæremonias uelut superstitiosas, uel perniciosas contemnunt, uerum illi etiam, qui ex imperitia, uel ex crassa incuria eas adhibere negligunt. Deberet autem, si quid eiusmodi quocunq; modo omissum hic esset, dextere per mystagogum quempiam, oblata occasione quapiam expleri: præsertim uerò si in illustriores quosdam Sacramenti huius ritus, defectio illa, cecidisset.*

DE HIS, QVI AD ORDINES promoueri possunt, vel non possunt.

Pars tertia.

I.

Greg. li. 4. ep. c. Sacerdotibus, 81. q. 1.

CVIusmodi autem ad sacros Ordines promouendi sint, *id ex munere, quod in Sacerdotio constituti gerunt, perfacile*

facile est colligere. Nam, ut supra admonuimus, est illud tantum, ut maius excogitari uix queat.

II. *Vnde Sacerdotes, utcunq; tandem uitæ suæ rationes instituant, quod Dei interpretes, & internūcij existant, eiusq; nomine diuinam legem, & uitæ præcepta tradant, nec non eiusdem Dei uim, locum, & numen apud nos quodammodo teneant, non solum Angeli, uerum etiam Dij nonnunquam appellantur.* Malach. 2. Exod. 22. Ioan. 10. Psalm 18.

III. *Et quanquam sacrorum Antistites, omni tempore, summam ubiq; dignitatem obtinuerint, tamen Noui Testamenti Sacerdotes, cæteris omnibus honore longè antecellunt: Potestas enim tum corpus, & sanguinem Domini nostri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata est, humanam quoq; rationem, & intelligentiam superat, ne dum aliquid ei par, & simile in terris inueniri queat.* Genes. 47. Exod. 22. Actor. 27. Ioan. 20. Matth. 18. Cat. Pont.

IIII. *Deinde uerò quemadmodum Saluator noster à Patre, Apostoli autem, & Discipuli in uniuersum mundum, à Christo domino missi sunt, ita Sacerdotes eadem, qua illi potestate præditi, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quotidie mittuntur.* Ibidem. Matth. 28. Mar. 16. Ioan. 20. Ephes. 4.

V. *Huius igitur tanti officij onus nemini temerè imponendum est: sed ijs tantum, qui uitæ sanctitate, doctrina, fide, & prudentia illud sustinere possunt, & tantum non promeriti sunt. Nec enim quisquam sumere sibi honorem debet, sed qui uocatur à Deo tanquam Aaron.* De Sacr. ordi. Cat. Pont. c. In Sacerdotibus d. 61. & c. Miserum, c. Miramur, c. Ep. ead.

VI. *Hi autem à Deo uocati dicuntur, qui à legitimo Ecclesiæ magistratu instituuntur. Nam qui in hæc ministeria seipsos arroganter inserunt, ac intrudunt, de his Dominum locutum esse existimandum est, cum ait: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nihil in Ecclesia Dei calamitosius esse potest.* Ad Hebr. 5. Ad Tit. 1. Ieremiæ 23. Cat. Pont. loco citato.

VII. *Debent autem non solum sacrorum Antistites summopere cauere, ne quem hoc munere indignum scientes promoueant, uerum eos etiam, qui ad Sacerdotium aspirant, summam cautionem adhibere decet, ne fine aliquo præpostero huc contendant: hoc est, ne aliquid à Sacerdotio alienum, sibi proponant. Siquidem hoc tempore, si alibi unquam, grauissimè hic à quibusdam peccatur.* Idem, de Sacr. ord.

VIII. *Quidam enim eò consilio ad hanc uiuendi rationem se conferunt, ut quæ ad uictum, uestitumq; necessaria sint, sibi parent, ita ut præter quæstum, nihil aliud in Sacerdotio: quemadmodum uulgò cæteri* Idem, eod. tit.

Deut 25.
1 Cor 9.
1. Timo 5.
Matth. 10.
Luc. 10.

omnes in quouis sordidi artificij genere spectare uideamur. Nam etsi diffitendum non sit, leges permittere, ut qui altari seruit, ex altari uiuat, tamen quæstus, & lucri causa ad altare accedere, magno cum sacrilegio coniunctum est.

4. Reg 13.
2. Macha. 4.
Ioan. 11.

IX. Sunt quos honorum cupiditas, & ambitio ad Sacerdotium ducit: comperias deniq;, qui ut diuitijs affluant, initiari uolũt: cuius quidem rei illud argumento est: quod nisi opimum aliquod beneficium deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habere deprehenduntur.

Ioan. 10.
Ezech. 34.

X. Eius farinæ homines Saluator noster mercenarios appellat. Propheta Esaias Pastores, non oues, sed seipsos pascentes: quorum proinde improbitas, & turpitudo non solum Sacerdotali Ordini magnas tenebras offundit: ita ut iam nihil ferè à populo fideli haberi possit contemptius, & abiectius, uerum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur: quam Iudas ex Apostolatus munere, quod illi æternum exitium attulit.

Actor. 1.
Matth. 27.

Patet ad tit. de ser. non ord. de fil. Presbyt. De Biga. &c.

XI. Sed neq; omnes, qui nihil Sacerdotij munere indignum affectant, statim ad sacros Ordines admitti debent: Siquidem Canonicæ sanctiones plures personas, probas alioquin, uitæq;, & morum integritate conspicuas, huc ascendere prohibent.

c. 1. de ser. non ord. c. dilectus. eod. tit. c. 1. de fil. Presby.

XII. Primo namq;, quod cultui diuino eum dedicari nõ deceat, neq; etiam expediat, qui nõ sui iuris, sed in alterius potestate positus est, Clericus fieri nõ potest seruus: Qui tamen matre ingenua æditus est, etiamsi patrem habeat seruum, cum seruus ipse non sit, ab Ordinib. non arcetur.

De fil. Presby. c. vt filij. Eod. c. & tit.

XIII. Rursum qui ex fornicatione, & præsertim ex Presbyteris nati sunt, ad sacros Ordines non ascendunt, nisi ut uel Monachi fiant, uel in Canonica congregatione regulariter uiuant. Hi tamen nullo modo ad præfecturas admitti solent.

c. Is qui defectum. de fil. Presby. in 6.

XIIII. Veruntamen Episcopis non adimitur facultas indulgendi illegitimis, ut ad minores Ordines, & beneficia simplicia, hoc est animarum cura soluta peruenire poßint: Ad maiores autem Ordines, & beneficia curam habentia, ascendere cupientes, sedem Romanam adire oportet.

c. Præsentium. c. conquerente. c. Ad præsentiam, de fil. Presby. Syn. Trid. sess. 25, c. 15.

XV. Nullo tamen modo Clericorum filij, in illis locis, uel Ecclesijs, ubi patres eorum beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunq; beneficium, etiã dißimile obtinere, aut in dictis Ecclesijs quoquo modo ministrare, aut pensiones super fructibus beneficiorũ, quæ parentes eorum obtinent, aut aliâs etiam obtinuerant, habere possunt.

Ad hæc

XVI. *Adhæc, ne ulla omnino paternæ incontinentiæ memoria, in locis Deo sacratis, ut quos maximè puritas, sanctitasq; decet, in posterum extaret, Tridentina Synodus reciprocas illas beneficiorum resignationes, quæ à parentibus Clericis, in filiorum fauorem fieri nonnunquam solent: ueluti in fraudem Canonicarum sanctionum factas, nullarum posthac uirium fore declarauit.*

Syn. Trid. sess. 25 c. 15. Tit. de fil. Presb. fere per totum. c. illud. d. 50.

XVII. *Qui publicam solennemq; pœnitentiam, qualem Agathense Cōcilium constituit, propter quodcunq; crimen, uel facinus patratū, sibi indictam subierunt, ij citra Canonum gratiam, ad Clerum admitti non possunt: admissi autem, quamuis boni alioqui, & sancti si quidem inscio Episcopo id acciderit, à Clero semouendi erunt, ut qui Ordinationis tempore, se quandoq; pœnitentes fuisse, non prodiderint: Si aūt sciens huiusmodi homines ordinauerit, & ipse quoq; ordinandi potestate priuandus erit, nisi forsan prius in suscepto ordine legitimè cum eo dispēsasset. Nam si necessitas, aut publica utilitas postulauerit, poterunt huiusmodi per Episcopi dispensationem inter Ostiarios, uel Lectores deputari.*

c. Si quis post. c. Quamuis. Syno. Carth. 4. c. 68. d. 50. c. ex pœnitentibus. c. Placuit. ead. d. Con. Tol. 2. c. 2.

XVIII. *Bigamus quoq;, propter defectum Sacramenti, ad Sacerdotium nō recipitur; undecunq; tandem uel quomodocunq; Digamiæ notam contraxerit: certum namq; est, uarijs modis Digamum effici posse: Nam & uiduæ, & corruptæ, & adulteræ, post adulteriū cognitæ, maritū iura Canonica inter Digamos censent: Similiter etiam, qui duas successiuè, uel simul uxores ab se cognitas habuit, siue utramq; habuerit de facto tantum, non etiam de iure, siue utramq; de iure, siue alteram de iure, alteram de facto: Verum plures concubinas habuisse, uel uiduam adhuc uirginem, uel plures uxores abs se, uel alio, non cognitas: uel abs se defloratam duxisse, non inducit Digamiam.*

c. Vt Bigami. de Biga. c. debitum, eod. c. circa, c. Si cuius. c. Curandum. c. Si quis. d. 34. D. Thom. 4. d. 27. c. quacunq;. d. 50. Non confido ibid.

XIX. *Qui publicorum negotiorū Procuratores, pupillorumuè, aut uiduarum tutores, aut curatores egerunt, ij, nisi onere prius deposito, & reddita administrationis suæ ratione, ad Ordines non admittuntur.*

c. Vni. de obl. ad ratio. Con. Carth.

XX. *Sicut nec illis quoq; initiari fas est, quorū corpus aliquo uitio deformatum est: ueluti qui manu carent, uel digitis frangendæ hostiæ aptis, aut alio membro, ad functionem Sacerdotalem necessario. Paruus tamen corporis defectus puta unguis, uel dentis detrimentum, oculorum, uel narium deformis macula, aut aliud quippiam eiusmodi, Ordinum susceptionem non impediret.*

c. Presbyteræ. cum de ua, de corp. uit. c. Presbyterum. de Cle. ægrot.

XXI. *Potest autem Episcopus Presbytero, qui in monomachia digiti partem, ad solenniter, & absq; scandalo celebrandum non necessa-*

c. 1. de corp. uit. c. ex parte. ibid.

 riam,

c. Significauit, eod. tit. Opp. ūr. c. qui c. Si quis, d. 55.

riam amisit, concedere, ut in ordine suo ministret: quemadmodum etiam sua, & Apostolica auctoritate Sacerdoti alioqui idoneo, Sacerdotale officium indulgere, qui uirilia sibi ultro amputauit, credens ingens sibi meritum hoc facto apud Deum partum iri. Non tamen concedet huic altaris ministerium, nisi iusta, & grauis quæpiam causa ad hoc eum impulerit: qui autem in cunabilis castrati sunt, ij ab Ordinibus non repelluntur, sicut nec iustè quoq; inde repelli possunt.

c. Ex parte M. de corp. vit.

c. Qui partem d. 55. Inno. 1.

c. Eunuchus. c. Si quis pro ægri. c. Si quis a medicis, ead. d. 55. Gelasius. c. Euangelica. d. 55.

XXII. Qui casu aliquo corporis detrimentum passus est, dum forte operi rustico curam impendit, uel aliud quippiam faciens, non sponte se percutit, hunc Canones permittunt, & Clericum fieri, & si in Clero fuerat repertus non abijci: Id quod de his quoq; dicendũ uidetur, qui propter languorem à Medicis secantur, uel à barbaris abscinduntur, aut à dominis inuiti euelluntur. Illis autem quibus utrumq;, aut alterum etiam lumen ademptum est, Sacerdotij iura concedi non debent.

c. Ex tenore. c. Quæsitum, de temp. ordi. & Gloss. vtrobiq;.

XXIII. Sed nec illi quoq; iure promoueri possunt, quos uel facti euidentia, uel iudicis sententia, uel propria ipsorum confeßio palam facit, graui cuipiam crimini obnoxios esse, uel fuisse. Cuiusmodi sunt adulterium, periurium, falsum testimonium, & alia eiusdem atrocitatis crimina.

Eod. tit. ijsdemq; cap.

XXIIII. Quod si piacula hæc, uel alia eiusdem generis quæcunq;, etiam degradationis pœnam, ubi manifesta forent, inferre potentia, fuerint occulta, Ordinibus quidem acceptis procul dubio uti non impedientur, acta prius pœnitentiæ parte illis indictæ: sed neq; à sublimioribus quidem arceri poterunt: poterunt tamen, & etiam debebunt amicè admoneri, ne eos uelint ambire.

c. Quæsitum, de temp. ord. c. Si quis viduam d. 50. c. Presbyterum. c. Sus. epimus. c. de cætero. c. significasti. de homicidio. c. studeat. c. Qui ve... c. Si quis hom. d. 50.

XXV. Homicidij quàmuis etiam occultè reus, omnino ab Ordinib. repelli debet, etiamsi delicti pœnitentiam iam subijsset. Nam & Dauid Rex acta pœnitentia audiuit à Domino, quod sanguinarius uir esset, ne ei templum ædificaret. Nec quicquam refert, an propria manu, & facto, ut miles, an præcepto, ut Iudex, an consilio, ut assessor, an denum dum se ab iniuria tuetur, quam poterat citra sanguinem propulsare, quis homicidium patrarit, ut à Clericali Ordine submoueri debeat.

Gloss. in c. Si quis viduam. d. 50.

XXVI. Nam etsi Iudex assersorue, & alij, in quibusdam casibus sanguinem effundendo non peccent, dum uel in facinorosos homines gladij ius exercent, uel exercentibus consulunt, aliudue, ut dictum est, non illicitum opus faciunt, non ideò tamen irregularitatis exortes abeunt.

XXVII. Quod si quis casu, præter uoluntatem, et citra culpam,

dum

dum rei cuipiam dat operam, homicidium patrasset, non prohibendus esset inter Clericorum Ordinem recipi: secus si culpa casum praecesserat: Nam tum non facile permitti deberet ad Clericalem Ordinem ascendere, uel in sacris Ordinibus ministrare, quamuis iniuncta digna poenitentia, posset fortaßis in minoribus tolerari.

c. Later. c. dilectus filius, & sequent. de hom. & c. Presbyter. c. Continebatur, c. Ad audientiam, eod. ti.

XXVIII. De hac, ex homicidio nata irregularitate, Synodus Tridentina eiusmodi sanctionem aedidit. *Cum (inquit) is, qui per industriam, uel insidias proximum suum occidit, ab altari auelli debeat: qui sua uoluntate homicidium perpetrauit, etiamsi crimen illud nec ordine iudicario, nec alia ratione probatum fuerit: nullo tempore ad sacros Ordines promoueri poßit, nec aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre illi liceat: sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico, perpetuo careat.* Et addit.

Sess. 14. c. 7.

XXIX. *Si uerò homicidium, non ex proposito, sed casu uim ui repellendo: ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quamob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, ac beneficia quaecunque, ac dignitates, iure quodammodo debeatur dispensatio: committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu uiciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis processibus, ac narratis, nec aliter dispensare poßit.*

Ead. sess. & cap.

XXX. *Non debet autem Clerico in fraudem imputari si, dum à Iudice Laico, ad repetendas fortè res suas, sibi contra aliquem iusticiam fieri petit, Iudex ille, iustitia sic dictante, contra reum sanguinis uindictam exerceat: modo tamen Clericus coram Iudice testatus sit expreßè, quod uindictam, seu sanguinis poenam nullam omnino à reo exposcat.*

Inno. 3. E. Epi. c. postulasti. de hō. & c. 2. de homi. in 6.

XXXI. *Qui insaniunt, uel in terra abrepti à Daemonibus eliduntur, uel rationis luce alio quouis modo subinde destituuntur, ij ad Ordines admitti legitimè non possunt, si tamen admitterentur, Sacramenti charactere non frustrarentur.*

c. Maritum. c. Communiter. c. Clerici. c. usque adeo. d. 33.

XXXII. *Idem statuere licet de coniugatis, ab uxore sponte continentiam profitente, non absolutis: de patrimonij, uel beneficij, uel alio non improbato titulo carentibus: de lepra, aut alio contagioso morbo faedè contaminatis: de infamibus deniq; & literarum rudibus. Nam & primae quoq; tonsurae infans, & illiteratus incapaces habentur.*

c. Nullus Epi. de temp. ord. in 6. c. Coniugati. c. sane si. de conuers. coniuga. d. c. nullus.

XXXIII. *Qui (inquit) Synodus Tridentina legere, & scribere nesciunt, fideiq; rudimenta edocti non fuerint, neq; Confirmationis Sacramentum susceperunt, prima tonsura ne initientur. Sed neq;*

Sess. 23. c. 4.

Ead. sess. 10. cap. hac prouecti, prius initiari debebunt, quàm probabiliter constiterit: eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc uitæ genus elegisse.

Eadem sess. c. 11. XXXIIII. Sanxit eadem etiam, ne Minores Ordines ijs conferantur, qui saltem latinè non intelligant: quamuis ne ijs quidem omnibus conferri debeant, sed probis tantum, idq; per temporum interualla: quo nimirum accuratius, quantum disciplinæ huius pondus sit, expendentes, atq; adeò de gradu in gradum paulatim ascendentes, cum in uitæ merito, tum in literarum quoq; scientia unà cum ætate crescant.

Sess. 23. c. 13. XXXV. A Diaconis porrò, & Hypodiaconis (præter eruditionem) publicū quoq; ꝓbitatis testimonium eadem Syn. requirendū ducit: Diaconi, & Subdiaconi (inquit) ordinentur, habentes bonū testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinet instructi: Qui sperant Deo autore se continere posse, Ecclesijs, quibus asscribentur, inseruiant: sciantq; maximè decere si saltem diebus Dominicis, & solennibus, cum altari ministrauerint, sacram communionem percipiant, &c.

XXXVI. Quodsi ea eruditione, morumq;, te uitæ innocentia ornatos esse decet, qui ad Ordines humiliores promouentur, consequens fit, ut futuros Sacerdotes, exacta quadam, & exquisita doctrina, uitæq; ac morum sanctimonia, decoratos esse oporteat.

XXXVII. Sed & aliunde quoq; colligi id potest: Nam cum Sacerdotibus utrunq; incumbat, nimirum, & Sacramenta ritè conficere, & administrare: & populum rursus fidei suæ commissum, ijs in rebus,
Malach. 2. & institutis, quæ ad salutem necessaria sunt, erudire, (Malachias enim
Cat. Roma. D. Thom. Ma. sent. 4. d. 24. ita testatur: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est:) ut alterum, puta ea, quæ ad Sacramentorum usum pertinent: si mediocri cognitione ornati sint, præstare utcunq; queant: alterum certè, nempe populo fidei Christianæ mysteria, & legis diuinæ præcepta tradere: eundemq; ad uirtutem, & pietatem incitare: uel etiam à uitijs, & improbitatibus reuocare, & alia eiusmodi pleraq;, munus suum concernentia explere, nisi accurata quadam sacrarum literarum scientia instructi fuerint, præstare omnino non possunt.

Doct. Scholæ. 4. d. 24. & 25. Cat. Pont. XXXVIII. At interim non æquè, ab omnibus Sacerdotibus, summa reconditarum rerum scientia exigitur: sed quæ ad suscepti officij, & ministerij functionem unicuiq; satis esse poßit. Vnde maiora literarum

præsidia

præsidia suppetere debent: plebano oppidano: quam rurali, maiora rursum Episcopo, quam Pastori urbano, atq; ita de cæteris.

XXXIX. Deniq; ab Ordinũ quorumlibet susceptione eos omnes reijcimus, quos hinc repellunt sacri Canones, summorumq; Antistitum sanctiones: Inter quos eos etiam ponimus, qui non ordinati, uel ad eum gradum, quem temerè usurpant, non euecti, diuinum officium exercent, olimuè exercuerunt. Eiusmodi enim, propter insignem temeritatẽ suam, abijciendi sunt ab Ecclesia, & nunquam ordinandi: uel certè si in inferioribus iam constituti fuerant, nunquam ad altiores prouehendi. De mulieribus nihil hic addo: certum est enim eas nullius ordinis, aut spiritalis potestatis capaces esse. De Cler. non ord.c. finali. & c. si quis. ibid.

DE ORDINANDORVM ÆTATE, & Ordinationum tempore.

Pars quarta.

I.

CVM in teneris annis, non possit aliquis rerum usus, aut iudicij maturitas, aut morum grauitas uigere: hæc enim ante adultiorem ætatem, ut plurimum uenire non solent; cumq; non deceat prorsus, ut is intra Ecclesiasticos Ordines recipiatur, qui, quid hic agatur, non intelligit, neq; dum Ecclesiasticæ militiæ nomen dat, per ætatem fari nouit, ob id certa ætas, præfinitumq; annorum spatiũ singulis Ordinibus capessendis præstitutum oportebat, & reipsa etiam præstitutum est. Communis Philo. & Theo. conceptio, quotidiano experimento confirmata. De æta & qual. ord. c. nu lus. c. Ind: corum. & d. 76. & 77. fere per totum.

II. Et quidem ad infimum Clericorum gradum, quod spectat, Ecclesiasticæ sanctiones neminem infantem, hoc est, infra septimum ætatis annum adhuc constitutum, ad primam tonsuram admittunt: nisi qui forsan eorum ideò primum hunc gradum ambiant, quo religioni sese dedãt. Quod si qui Antistites supradictum promotionis tempus anteuerterint, pro beneficio, quod alteri impẽdunt, certam suspensionis pœnã sibi asciscunt. Qui (inquit) Bonifacius eius nominis Octauus, infanti, nisi fortè ut religionem intret, Clericalem tonsuram conferre præsumit (ut in eo puniatur in quo peccauit) per annum à Clericalis tonsuræ collatione duntaxat, nouerit se suspensum. d. c. nullus. de ætat. & qual. ord. d. c. Nullus. de æta. & qual. ord.

Cæterum

III. Cæterum ut quis Ostiarius, Lector, uel Exorcista creetur, infantiles, ut uerò Acolytus, pueriles annos emensus sit necessum est. Nam etsi hac ætate plerisq; in locis usus obtinuerit, ut minores Ordines uno simul tempore conferantur, prioribus tamen sæculis, non simul omnes, sed singuli seorsim administrabantur. Qui (inquit Gelasius) Episcopus esse mereretur, sit primum Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolytus, deinde uerò Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter, exinde (si meretur) Episcopus consecretur.

c. In singulis d. 77. & Gloss ibidem. & c. fi. in Cle. de æta. & qual. ord.

c. Illud nos, d. 77.

IIII. Quantum uerò temporis interuallum, inter singulos gradus intercedere debeat, Zozimus urbis Romæ Episcopus, breuiter his uerbis exponit. In singulis gradibus hæc (inquit) tempora sunt obseruanda: Qui ab infantia ministerijs Ecclesiasticis nomen dedit, inter Lectores, & Exorcistas quinquennio teneatur: inde Acolytus, uel Subdiaconus decimo quarto anno fiat: & sic ad benedictionem Diaconatus, (si meretur) accedat: in quo Ordine quinq; annis (si inculpatè se gesserit) adhærere debebit: Exinde suffragantibus sibi meritis, stipendijs per tot gradus datis, propriæ fidei documentis poterit Sacerdotium promereri: de quo loco (si eum exactior ad bonos mores uita perduxerit) summum Pontificatum sperare debebit. Hactenus Zozimus, & Gelasius, quorum sanctionibus in partem quoq; Synodus Tridentina subscribit.

Ead. d. c. In singulis.

Sess. 23 c. 11. 12. 13. 14. 15.

V. Maiorib. porrò Ordinib. initiaturis pluscululum quidē temporis præstituitur, non tamen æquale omnibus: sed pro graduum ratione, imò etiam pro temporum diuersitate, plus minusuè. Neq; enim idem annorū spaciū semper exactum fuit ab omnibus, sed interdum maius, nonnunquā etiam minus: Synodus Sexta. Subdiaconus non minor 20. annorū ordinetur. Cō. Cart. 4. Placuit, ut ante 25. annos ætatis nec Diaconi ordinētur, nec uirgines cōsecrentur. Agathense: Episcopus benedictionē Diaconatus minorib. 25. annorū penitus non committat: Presbyterum uerò, uel Episcopum ante triginta annos, id est, antequā ad perfecti uiri ætatem perueniant, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat. Bonifacius: Si quis 30. ætatis suæ annum non impleuerit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi ualdè sit dignus. Nouellæ: Nemo Presbyter consecretur, qui minor sit annis 30. Nemo Diaconus, uel Subdiaconus fiat, qui minor sit annis 25. Nemo Lectoribus connumeretur, qui minor fuerit annis 18. Clemens 5. Alio Canonico impedimento non obstante, decernimus ut possit quis liberè in 18. ad Subdiaconatus, in 20. ad Diaconatus, & in 25 ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoueri.

c. Subdiaconus. d. 77. c. Placuit. ead. d. c. Ep. ead.

c. Si quis. d. 76.

c. Nemo Presbyter. ead. d.

c. Generalem, de æta. & qual. in Cle.

Verum

VI. *Verum utcunq; hæc olim habuerint, modoue in prope, uel longè positis locis habeant, hodie certè, ubi sacræ, & Oecomenicæ Synodi Tridentinæ decreta sanctè, ut decet, obseruantur, nemo ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Sacerdotium deniq; ante 25. ætatis suæ annum promouetur.* Syn. Trid. sess. 23. c. 12.

VII. *Sed neq; singuli in ea ætate constituti, ad hos Ordines assumuntur, sed digni duntaxat: quorum nimirum probata uita senectus sit. Habet aūt decretum hoc locū, non solum in Clericis sæcularibus, uerumetiam in regularibus. Nam & illi quoq;, neq; in minori ætate, neq; absq; diligenti examine ordinari debent, priuilegijs quibuscunq;, quæ illis concessa essent, non obstantibus.* Ead. sess. eodemq; cap. Syn. Trid. eod. c.

VIII. *Quod si quem, ante ætatem, à sacris Canonibus, singulis Ordinibus præfinitam, alicui Ordini aggregari contigerit, is Ordinis quidem characterem recipiet, non priùs tamen, quæ eius sunt Ordinis, exequi sinetur, quàm ad iustam ætatis mensuram fuerit perductus.* Summa Ange. & communiter Doct. Gloss. de Cler. per sal. & in c. Generale, de æt. in C. e.

IX. *Sed neq; hoc casu id semper ei licebit. Nam qui ad sacros Ordines, ante iustam ætatem, non præcedente dispensatione, promouentur, quemadmodum non absq; scandalo, multos passim hoc tempore promoueri contingit, non ante illi, legitimam eorum Ordinum executionem, sortientur, quàm id summus Pontifex concesserit. Neq; potest Episcopus, nisi aliunde id habeat, ante præfinitam à iure ætatem, intra Ecclesiasticos Ordines quempiam admittere: sed solus Pontifex Maximus hoc concedendi potestatem habet.* Canonistæ in d. c. Generalem, & c. In singulis, d. 77.

X. *At non Ordines modo, sed & beneficia, & Ecclesiasticæ dignitates certum quoq; annorum spatium deposcunt. Nam Episcopatui capessendo nemo censetur idoneus, qui 30. ætatis annum non attigerit. Nec id sanè iniuria: nam si in cunctis sacris Ordinibus, & ecclesiasticis ministerijs ætatis maturitas, morum grauitas, et literarum scientia sunt inquirēda, multo fortius in Episcopo, hæc oportet inquiri: Hic. n. ad curā aliorum positus, in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat cōuersari: Alteri uerò dignitati, Episcopatus munere humiliori, nullus aptus habetur, qui 25. uitæ annum non fuerit ingressus: Quod annorum spatium, in eo etiā requiri solet, cui una cum beneficio, animarum cura concreditur.* c. Cum in cunctis, de elect. Ibidem.

XI. *Quod si beneficium animarum cura solutum sit, regiminis tamen alicuius onus sentiat, ætatem trium, & decem annorum maiorem adesse oportebit; secus si nullus, neq; consilij, neq; regiminis, neq; alterius* Abb. in c. Super inordinata, de præbe.

cuiuspiam eiusmodi titulus, beneficio sit adiunctus: Nam tunc ætas decennali minor, beneficio eiusmodi consequendo, idoneum quem efficiet.

Reg. 15. Cancel.

XII. *Verumtamē, quòd ea de re inter Canonū interpretes, iurisq; Pontificij Doct. non satis conueniret, tandem Cancellariæ Pontificiæ regulis cautum est, ut in Cathedralibus quidem Ecclesijs, nemo ante consummatum 14. ætatis annum efficiatur Canonicus, in alijs uerò Collegiatis ante exactum 10: nisi tamen proprio, et speciali Pontificis Maximi diplomate aliud quippiam hîc fuerit impetratum.*

XIII. *De Regularium titulis, & magistratibus eadem penè est ratio. Nam ut Abbas quispiam renunciari possit 25. ætatis annum attigerit necessum est. Vt Abbatissa uel Priorissa 30. Vt Prior Collegialis animarum curam habens, eamq; per se exercens 25; per alium uerò eandem impendens ijsdem 20. Vt autem Prior non Collegialis, neq; per se, neq; per alium animarum pastorem agens 14.*

Abb. in c. super inordinata, de præben. Gloss. c. Indemnitatibus, de elect. in 6.

XIIII. *Cum ergo hæc, inter alia, legitimam sacrorum Ordinum susceptionem impediant, partium erit Ordinarij nemini prius manus imponere, quam de ipsius promouendi patria, genere, ætate, institutione, moribus, fide, religione, continentia, doctrina, prudentia, cæterisq; huc facientibus, exactè, quoad eius fieri potest, constiterit.*

c. Nullus ordinetur, d. 24. & c. Quando Episcopus. ibidem.

XV. *Fiet autem hoc percommodè, si dum Ecclesiastici Ordines augendi sunt, Ordinarius ipse per se, maturioribus sacerdotibus, & alijs prudentibus uiris, diuinæ legis peritis, atq; in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum uitam, & educationem, cæteraq; omnia, quæ modo percensebamus, diligenter inuestiget, discutiatq;: discussioneq;, & scrutinio, quantùm sat est, facto, probos solùm, & tanto munere dignos admittat: satius esse ducens, per paucos habere, & integros, quam multos insulsos, & Ecclesiæ inutiles.*

d. c. Quando Episcopus, d. 24.

Clemens 1. Pp.

Sess. 23. c. 5.

XVI. *Eodem ferè tendunt, quæ ea de re præstituit Synodus Tridentina. Qui (inquit) ad maiores assumendi sunt, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire uidebitur committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui uolent promoueri publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & uita, è fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.*

XVII. *Quod si qui, ut eiusmodi examinationem, & scrutinium subterfugiat, furtiuè Ordines surripuerit, puta ingerendo se multitudini ordinandorum,*

ordinandorum, ignorante id Episcopo, is & maiorum Ordinum suscipiendorum spe, & ordinis illius, quem sic surripuit, executione interdictus erit: quam etiam solus Pontifex Romanus, ubi huiusmodi Ordinum suppilatores excommunicatione lata perculsi essent, restituere poterit. Quod si nulla lata esset contra huiusmodi homines excommunicatio, Antistes benignius cum ijs agere posset. c. 1. & sequen. de eo, qui fur. ord. susc. c. & c. Innoc. eod. tit.

XVIII. *Pari modo qui prætermißis aliquibus gradibus, non superbia, sed negligentia ad maiorem gradum ascenderunt, tamdiu à maioribus abstinere debebunt, (quamuis characterē recipiant) quamdiu congruo tempore omissos accipere distulerint. Potest tamen Episcopus, dispensare cum promotis per saltum, si adsit legitima causa, & non ministrauerint in Ordine per saltum suscepto.* Gloss. in c. 1. & 2. d. 55. c. Tuæ literæ. de Cler. per salt.

XIX. *Quin certa quoq; tempora statuta sunt, extra quæ non licet quempiam Ordinibus aggregare. Nam quatuor anni temporibus, quibus ab Ecclesia ieiunia indicuntur, et Sabbato, quod Christi Dei, Seruatorisq; nostri resurrectionē proximè antecedit: rursum Sabbato, quod Dominicam, quæ de Paßione, inscribitur, præcedit, sacri Ordines expleri possunt, alijs autem diebus, absq; Pontificis Maximi facultate, non possunt.* c. Ordinationes, d. 75. c. sane, de temp. ord.

XX. *Quod si qui contra hæc, ad Ordines ascenderint, tantisper illorum usus expertes erunt, dum restitutionis gratiam fuerint consecuti: & ij præterea, qui eos admiserunt, alios deinceps ad eiusmodi Ordines promouere, prohibebuntur. Hæc tamen temporis anticipatio non impedit, quo minus ad Ordines recepti, Ordinis characterem consequantur.* c. Cum quidem c. sane. c. Literas. c. consultationi. eod. tit.

XXI. *Ad minores porrò Ordines quod spectat, illi quibuslibet diebus Festis, uni aut alteri conferri possunt: Vna tamen eademq; persona, eodem die, uel duobus continuato ieiunio, ad duos Ordines sacros ascendere non potest: & si huc ascenderit Ordinum, sic præposterè susceptorum executione carebit: & ille nihilominus, qui eundem ad plures Ordines sacros eodem die admiserat, tamdiu ab Ordinandi potestate suspensus erit, quamdiu gratiam obtinere non meruerit.* c. De eo. eod. tit.

XXII. *Deberent autem sacri Ordines non quouis in loco, sed in Ecclesia Cathedrali, præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis, celebrari: quod si in alio Diœcesis loco, præsente loci Clero, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia adeunda est.* Syn. Trid. sess. 23. c. 8. & 7.

DE SACRAMENTI huius effectis.

Pars quinta, & postrema.

I.

Psal. 44. Synod. Trid. sess. 7. c. 7. & sess. 23. c. 4.

QVamuis uerò Ordinis sacramentum ad Ecclesiæ utilitatem, & pulchritudinem quàm maxime faciat, præter hoc tamen in eius quoq; anima, qui sacris initiatur sanctificationis gratiam efficit, qua idoneus, habilisq; ad rectè munus suum obeundum, Sacramētaq; administranda reddatur: quemadmodum etiam Baptismi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipienda aptus efficitur.

Cō. Trid. sess. 23. Thom. 4. d. 24. in addi. 3. p. q. 35. Ma. Sent. 4. d. 2. & 24.

II. *Quin aliam quoq; gratiam hoc Sacramento tribui perspicuum est, puta diuinam quandam, planeq; cœlestem potestatem, quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum refertur: in Sacerdote quidem plenam, & perfectam (ut qui unus omnium Christi corpus, & sanguinem conficere, & peccata remittere queat) in alijs uerò inferioribus Ordinum ministris, maiorem minoremuè, prout quisq; ministerio suo, magis minusuè propinquè ad altaris Sacramentum accedit.*

Thom. lo. cit. Cas. Pont.

III. *Atq; hæc potestas ideò character dicitur, quod qui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota animæ impressa, ab alijs fidelibus distinguantur, & diuino nihilominus cultui mancipentur, utcunq; tandem ministerio suo fungantur. Nihil enim absurdius est, quàm cuiusuis potestatis uim, ex bono, uel malo eiusdem usu metiri uelle.*

1. Timo. 4. 2. Timoth. 1.

IIII. *Ad utramq; Apostolus spectasse uidetur, cum ad Timotheum scribens, ait:* Noli negligere gratiam, *quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum manuum impositione Presbyterij. Rursum:* Admoneo te, *ut resuscites gratiam* Dei, *quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

c. Clericum, & seque. 11. q. 1. c. Bene quidem, & seque. d. 95. c. Aduersus, de immun. Eccle.

V. *Est alius non ignobilis sacræ* Ordinationis *effectus:* Nam quicunq; Ecclesiasticæ *militiæ ascribuntur, ueluti manu iam missi, à ciuili, & seculari potestate absoluuntur:* Non quod ciues *esse desinant, sed quod forum, iudicemq; mutent.*

c. null9 iudi. c. cōtinua. c. Christianis, & seq. 11. q. 1.

VI. Nec *enim fas est ulli omnino* Laico, Pontificis *iniussu,* Episcopum, *aut* Presbyterum, *aut* Diaconum, *aut ullum alium sacris imbutum, in*

uincula

uincula petere, aut ad sæcularem iudicem trahere, aut eo tractum punire, aut eius peculio tributa, aut alia cuiusuis generis, uel nominis onera imponere.

VII. *Quod si qui secus fecerint, admonitiq; desistere noluerint, tam ipsi, quam ipsorum fautores, á Christianorum communione alieni fiunt: cui etiam non prius restituentur, quam læsis in solidum factum fuerit satis: sententijs aut constitutionibus, quæ aliud fortè decreuissent, quibuscunq; non obstantibus.*

c.Non minus. c. Aduersus, de immu. Ecclef. extr. et c. Quia nonnulli, in 6. eod. tit.

VIII. *Possent tamen* Ecclesiastici, *si ea necessitate* Respub. *premeretur, cui sæcularium opes impares esse existimarentur, aut magna aliqua* Ecclesiæ *utilitas expectaretur, in cōmune regni, uel prouinciæ commodum, ultro quippiam ex sacra pecunia, uel ex suis stipendijs erogare.*

d.c.Nō minus, & c. aduersus, eo. tit.

IX. *Verumtamen quod hæc ultroneæ pensionis facultas,* Clericis *per* Innocentianam *constitutionem facta, magnam ad expilandos* Ecclesiasticos *fenestram,* Laicis *principibus aperire uideretur: (poterat enim necessitas, quæ nulla, uel modica erat subinde confingi) idcirco* Bonefacius *eius appellationis octauus, edixit, ut quicunq;* Prælati, *aut aliæ cuiusuis* Ordinis, *aut conditionis* Ecclesiasticæ *personæ, absq;* Apostolicæ *sedis autoritate,* Laicis *principibus tributum persoluerint, aut promiserint, excommunicationis sententiam incurrant.*

c.Clericis, de Eccles. immuni in 6. & in Clem. c. vni. eod. tit.

X. *Hac illi etiam pœna per* Concilium Lateranense *feriuntur, qui damnū á prædecessorib. per iniquas exactiones* Clero *illatum, intra mensem non resartiunt.* Quia *(inquit* Cō.*) fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, nullus uano decipiatur errore, ut intra tempus regiminis sustineat anathema, quatenus post illud, non sit ad debiti satisfactionem compellendus.* Nam *& ipsum, qui satisfacere recusauerit, et successorem ipsius, nisi intra mensem satisfecerit, manere decernimus* Ecclesiastica *censura conclusum.*

c.Aduersus, de Eccles. immu. ext.

XI. *Verum enimuero licèt infitiari nequeat,* Ecclesiasticorum *immunitatem, plurimum ad hoc momenti habere, ut* Deo, *diuinisq; rebus cōmodius, synceriusq; uacetur, non omnis tamen eorundem exemptio diuino, aut naturali iure niti uidetur.* Nam *quod ex prædijs, uel ædibus, quæ possident, uectigalia nulla persoluunt, quod cōmunem hospitem, nisi sponte uelint, non suscipiunt, quod alia deniq; id genus onera nulla sentiunt, id (si grauibus* Theologis *fides est) non tam suæ ordinationi, quám* Imperatorum, Principum, *atq;* Pontificum *pietati acceptum referre debent.*

L. iuxta sanctionem. L. omnis. L. Presbyteros. C. de Epi. & Cler. c. Continuata, 11. q. 1.

XII. Quo *(inquit* August.*) iure uillas defendis? diuino ne an hu-*

 mano?

In Euang.Ioan. tract.5.c.5. citatur,11 q.1. Psal.23. Genes.1.

mano? diuinum ius in Scripturis habemus: humanum ius in legibus Regum. Vnde quisq; poßidet, quod poßidet? Non ne iure humano? Nam iure diuino: Domini est terra, et plenitudo eius. Pauperes et diuites uno ex limo fecit Deus. Et pauperes & diuites una terra supportat. Iure tñ humano dicitur, hæc uilla mea est, hæc domus mea, hic seruus meus, etc.

Ambr.in c.5.Lu. c. Magnum quidem,11.q.1. Rom.13. 1.Pet.2. Math.17. Lib 5. epi. 32.ad Auxent. c. Si tributum.11.q.1.

XIII. *Augustino, præter alios, astipulatur Ambrosius, magnus alioquin Ecclesiasticæ immunitatis Patronus. Magnum (inquit) & speciale documentum est, quo Christiani uiri sublimioribus potestatibus docemur debere esse subiecti. Ne quis constitutionem terreni regis putet esse soluendam. Si enim censum soluit filius Dei, quis tu tantus es, qui putas non esse soluendum? Rursum: Si (inquit) tributum petit Imperator non ei negamus, agri Ecclesiæ soluant tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet uendicandorum, tollat eos si libitum est, Imperatori non dono, sed non nego.*

c.Peruenit, de immu.Eccle. Vict.relect.de potest.Eccle.

XIIII. *At quicquid tandem de uectigalibus Principũ legibus statutis, (neq; enim, quod in disputationẽ cadit, definire hic attinet) certe cæteris, quæ ad cõmunem Reipub. salutem, & incolumitatẽ pertinent, (nisi quæ forsan Ecclesiasticas functiones impedirent) simpliciter obnoxij tenemur. Sunt enim Principes non solum Laicorum in rebus mere ciuilibus Principes, & iudices, uerum etiam Clericorum: sicut uice uersa, Clerici non solum sunt Clerici, uerum etiã ciues: atq; ideo ijs omnibus obseruandis, sine quibus locum suum tueri ciuitas non ualet, simpliciter obstricti.*

Rom.13. 1.Petri 2. Math.5.

XV. *Quapropter si Principis, aut Reipub. lege cautũ est, ne quis, præter designatos, incendio, aut seditione orta, ædibus excedat, aut armatus diu noctuue obambulet, aut rheda mulierem circumuectet, aut uina frumentaue aliò euehat, uel aliunde inuehat, uel aliud quodcunq; eiusmodi cautum extat, non solum Laici sanctè, & religiosè isthoc obseruare tenemur, uerum etiã Clerici: & eò quidẽ religiosiùs, & sanctiùs, quò officij sui ratione, cæteris uulgaribus, magistratui parere obligãtur accuratiùs.*

c.Nullus Epi.c. Clericum, 11.q.1. Vict. relect. de pot.Eccles.

XVI. *Illud tñ hic inter Clericos, & Laicos intercedit, quod ab his, si legem infringant, sanguinis pœnam exigere liceat, ab illis uerò, nisi uel Pontificis facultas adsit, uel Ordinarij amicè persæpe admonitus, officiũ facere noluerit, ut pecuniariũ multã liceat, sanguinis certè pœnã exigere.*

Matt.10.16.26. Luc.9.23. Mar.6.14.15. Ioan. 20. Ad Gal.1. 1.Cor.1.11. Ad Rom.1.etc.

XVII. *Cæterùm in merè spiritalibus, cuiusmodi sunt (nõ licet.) ea omnia, quæ ad animarũ salutem, cælestisq; patriæ fœlicitatẽ proximè referuntur, Clerici nõ solũ humano iure, à populariũ, & Principũ sæcularium iurisdictione sunt exempti: uerũ etiã diuino, & naturali: Neq; hoc in dubiũ cadere potest.*

Vnde

XVIII. *Vnde Apostoli, quos utrumq; ius si quos alios, exactissimè calluisse certissimum est, nulla à Principibus, aut sæculari magistratu petita facultate, Euangelium regni Iudæis promiscuè, & gentibus prædicabant: Ecclesiæ ministros per oppida, & castella, instituebant: Sacramenta, & fidei mysteria populo tradebant: piè uiuendi leges, & Canones ædebant: cæteraq; omnia, quæ ad religionis propagationem, totiusq; Ecclesiæ administrationem profutura censebant, summa cum libertate constituebant, & ordinabant.*

Act. 2.3.5.6.7. 13.14.15.17.18. 1.Cor.11. 2.Time.3. Ad Titum 1. Math.10. Luc.9.

XIX. *Neq; secus unq̃ fecisse, aut docuisse leguntur illustriores Ecclesiæ proceres: imo uerò principibus munia eiusmodi Ecclesiastica infringere, aut quouis modo impedire conantibus, in faciem obsistebant. Ego (inquit Ambr. à Iustina Arriana, de Ecclesia Mediolanensi exire iussus) hoc sponte non faciã, ne lupis ouium septa tradere uidear, aut blasphemantibus Deum. Hic, si placet, occide, hoc loco mortem prona suscipiam uo-*

Histo trip. lib. 9. c.20. & 30.

XX. *Alius rursum. Si (inquit) Imperator* (luntate.
Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem attinet, discere ei conuenit, nõ docere. Ad Sacerdotes Deus uoluit, quæ in Ecclesia disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates. Non sibi uendicet alienum ius, et ministerium, quod alteri deputatum est: ne contra illius beneficia pugnare uideatur, à quo propriã consecutus est potestatẽ. Non à legibus publicis, nõ à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos, & Sacerdotes uoluit ordinari, & discuti, & recipi de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.

c. Si Imperator, d.96. Ioan. Põt.

Hæc nolent sæculi potestates, Episcoporum minus tenere sibi sumentes.

XXI. *Hoc Pontificum munus, atq; ius benè compertũ erat illi, qui priuatarum quarundã controuersiarũ libellos, in Nycena Synodo à quibusdam Episcopis sibi oblatos, flammis contradens, in hunc modũ partes est affatus. Deus (inquit) uos Sacerdotes constituit, & potestatem uobis dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos à uobis rectè iudicamur, uos aũt non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod solius Dei iudiciũ inter uos expectare: Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & cõueniens nõ est, ut homo iudicet Deos, sed ille solus de quo scriptũ est: Deus stetit in Synagoga Deorũ, in medio aũt Deos dijudicat. Hactenus Constantinus.*

Histo. Eccl. li.10. c.2. Histo. Trip. li.2.c.2. Nicephor. li.8.c.15.c. Sacerdotibus, 11.q.1.

Psal.18.

XXII. *Quod si qui uerò sæculares Principes circa spiritalia, aut spiritalium usum, uel administrationem aliquid quandoq; loci habuerunt, uel etiamnum habent alicubi, id sanè ex principatus sui ui, ut quæ offi-*

c. Quia cogitur. c. Principali. c. Creatura. c. Nobis. c. Lectis. c. Agatho. c. Hadrianus. c. In Synodo. c. Cum longe, d.63.

 cio, &

cio, & sine ab Ecclesiastica potestate sit secretissima: sed illius solius benignitate, & indulgentia, quæ cum pacis, & religionis studiosissima sit, simulq; prudentissima, ne deteriora contingant, ea nonnunq̃ permittit infirmis, quæ ualidis alioquin, et animo bene constitutis, intrepide esset denegatura: Nec enim semper ei negotium est, cum Theodosijs, uel Constantinis, sed quandoq; etiam cum Naruis, & Iulianis.

Vict. Rel. de pote. Eccl. disp. de Cle. exemp. propo. 8. XXIII. Nihilominus si Ecclesiastici magistratus, Ecclesiarum patrimonia turpiter abligurirent, uel dissiparent, animasue Christi sanguine redemptas, ineptissimorũ quorumlibet curæ passim cõmitterent, saluo honore, & obseruantia, quæ sacro Magistratui debentur, possent sæculares Principes, per admonitionem, uel appellationem, etc. eiusmodi studiis, dissipationibus, atq; promotionibus, modestè obuiam ire.

XXIIII. De Ecclesiasticarum immunitatũ origine (quoniam de hoc inter Doctos controuertitur) hoc addo: Pont. Max. Clero adscriptos, etiamsi nulla hactenus prærogatiua, nulla immunitate, aut exemptione Vict. loco cita. propo. 5. potiti fuissent, ab ijs omnibus oneribus, quibus modo uacant, & iam inde fere ab exordio uacarum, iustè, et inculpatè eximere posse. Nam cum summa Matth. 16. rerum spiritalium penes ipsum existat, Christiq; uices interris gerat, Ioan. 21. de ijs omnibus ferre potest, quæ è rerum spiritalium usu foreiudicauerit. In eorum autem numero Clericorum exemptionem ponendam esse, dubitat Catholicorum nemo.

XXV. Etenim cum plæriq; popularium, nõ optimè erga Clerum Disput. cit. Fran. Vict. sint affecti, si sæculari magistratui integrum esset, de Clericis, & eorum rebus pro arbitrio disponere, ac tractare, non possent profecto, à sacris interim diuinisq; ministerijs abstracti, non maximis calamitatibus, miserijs, atq; uexationibus quibusdam in locis quotidiè non affici, & tantum non opprimi: Quod sanè in magnum Christianæ religionis, publiciq; commodi detrimentum cessurum esse, intelligunt omnes.

XXVI. Atq; hoc unum pijssimos, religiosissimosq; Principes il- L. iuxta. L. Si quis in L. Presbyteros etc. C. de Episc. & Cleric. Continua. 11. q. 1. los, Constant: Theod: Arcadium, Valent: Gratianum, cæterosq; eiusdem ordinis Heroäs potissimum impulisse uidetur, ut tantis priuilegijs, immunitatibus, ac prærogatiuis militiæ Ecclesiasticæ mancipatos, donarẽt.

XXVII. Postea quã (inquit) Constantinus ex multis compertum Episto. ad An. Nicep. li. 7. c. 42. est, neglectã religionẽ, per quã cælestis numinis obseruantia, et reuerẽtia conseruantur, ingentia reb. publicis pericula intulisse, eandemq; legitimè cultam, maximã Romano nomini fœlicitatẽ, plurimaq; omnibus hominib. beneficia cõciliasse, placitũ est nobis eos uiros, qui inter prouinciam tibi creditam,

creditam, sanctißimæ religioni operam præstant, ab omnibus prorsus muneribus immunes esse: ne errore aliquo, aut lapsu sacrilego à cultu, qui summo numini debetur abstrahantur. Hæc ille. Quibus adde, non posse nō absurdißimum uideri, si oues in pastorem, filij iudicium, uel supplicium exerceant in parentes. Imperator autem, & alius quiuis seculi magistratus, siquidē Catholici sunt, oues sunt, filij sunt, Ecclesiæ subditi sunt, non pastores, non præsules, non Ecclesiæ heri, aut iudices. Ioan.21 c.Si Imperator, d.96.

XXVIII. Quæ hactenus de militum Ecclesiasticorum prærogatiuis, in medium allata sunt, manifestè ostendunt, personalem Cleri immunitatem, utcunq; tandem realis habeat, tam diuino, quam naturali Iuri, quàm maximè consentaneum esse: Vt etiam ueterum exempla, ualidè hoc ipsum confirmant: siquidem non solum Iudæorum Pontifices, Leuitæ, & Sacerdotes, suis priuilegijs, & immunitatibus quietè totius populi consensione perfruebantur, uerumetiam Aegyptiorum, Romanorum, cæterarumq; gentium Flamines, & Protoflamines. Genes.47.vers. 22.

XXIX. Quodsi utraq; exemptio, realis, inq̄, & personalis, alio è fonte cecidisset, adhuc, quod ad seculares fasses spectat, utraq; tuta, salua, & incolumis consisteret. Nam cum eiusmodi priuilegia, immunitates, ac prærogatiuæ statui ecclesiastico, ad finem sibi præfixum obtinendum, simpliciter, & absolutè sint necessaria, totaq; Christianorum respub. unde uis omnis, omnisq; facultas, & autoritas secularium Principum originem suam traxit, in eas ecclesiasticorum immunitates, & exemptiones gratuito, & liberè iam olim consenserit, non potest secularis magistratus, saltem uia Iuris, Clero eiuscemodi libertates, & prærogatiuas adimere. Vict.tract.de potest. Eccles. circa medium.

XXX. Secludimus hinc semper casum, quo Clericorum immunitas in manifestam Reipub. perniciem tendere uideretur: Nam si Ecclesiastici in ciuium exitium conspirarent, alioue scelerum, aut flagitiorum genere Rempub. conturbarent, si Pontifices admoniti, gliscentibus malis remedium non adhiberent, possent tunc seculares magistratus, iure gentium usi, ciuium suorum saluti consulere: non obstantibus quibuscunq; Clericorum priuilegijs. Caueant tamen eiusmodi, ne extra casus à Iure permissos, in personas Ecclesiasticas manus inijciant: alioqui enim, præter sacrilegij crimen, quod ea manuum iniectione committunt, ipso etiam facto, Deo, & Ecclesiæ anathema fiunt. c.Coniurationū. c. Conspirationū. c.Si qui Clericorum 11.q.1. Concil.Chalce.c. 18.Con. Aurelia. c.21. Vict.loc.cit. De sent.excōmu. per totum fere tit.

XXXI. Demum non solum personæ sacræ, suis immunitatibus, & priuilegijs gaudent, uerumetiam res, & loca cultui diuino consecrata,

eorundem immunitatum, et priuilegiorum participia existunt: Nec enim fas est eiusmodi in locis ciuiles controuersias agitare, inter uirum, & uirum iudicare, sanguinis sententiam ferre, tabernas, uel officinas aperire, nuptias, aut epulas celebrare, aut ulla alia prophana, & à religione aliena negotia pertractare.

c. Ut in domibus, & sequent. de immunit. Eccles.

c. Inter alia, eod. tit.

XXXII. Pari modo nefas est ingenuum, si salutis causa ad Ecclesiam fortè confugerit, ui hinc ad mortem, aliamuè corporis pœnam educere, etiamsi carcere, uel laqueo digna admisisset: nisi is forsan, qui huc confugit, uel publicus sit latro, uel nocturnus agrorum depopulator, uel uiarum publicarum, itinerumuè frequentatorum obsessor, uel homicidium, aut membri mutilationem, impunitatis spe impulsus, in ipsa Ecclesia, uel in eius cœmeterio patrare ausus fuisset. Hos enim ab Ecclesijs extrahere licet, immunitatis securitate non præstita.

c. Immunitatem, ibidem.

XXXIII. Non est autem hic omittendum, ut personæ quædam sacris non initiatæ, quibusdam initiatorum priuilegijs gaudent: ut sunt, Conuersi, Templarij, Hospitalarij etc. ita etiã Ecclesijs non consecratis, dummodo tamen diuina mysteria in ijs celebrentur, eadem immunitatis prærogatiua frui, qua consecratæ, et ex professo diuinis officijs destinatæ.

c. Sacram. de elect. in 6.
c. Ecclesię in qua, de immunit. Eccl.

XXXIIII. Neq; tamen Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ tam absoluta immunitate potiuntur, ut non interdum aliquid etiam oneris perferre cogantur. Nam à murorum custodijs magna impendente necessitate excusationem non habent: neq; rursum à cæteris muneribus, quæ communem omnium operam necessario requirunt.

c. Peruenit, de immunit. Eccle. ext.

XXXV. Quin & procurationis quoq;, quæ Prælato uisitanti, uel Episcopo persoluitur, decimarum præterea Romano Pontificij persoluendarum onus, Ecclesias interdum stringit: frequentius tamen, & de iure magis ordinario, ipsi potius Ecclesiæ à Laicis decimæ soluuntur, quam quod ipsæ eas soluant Pontifici, aut alteri cuicunq; Principi.

De procurat: c. Accedentibus, & Gloss. ibid.

Atq; hæc de Ordinis Sacramento dicta sufficiant: Cætera, quæ de Ecclesiastica potestate, de summi Pontificis autoritate, deq; erroribus, circa hæc omnia, uel iam pridem ante, uel nostra hac ætate ortis, uel auctis, uel etiam exuscitatis, adijci his poterant, in aliud commodius tempus reijciantur. Lector uale, & quæ animo non malo offeruntur, boni consule.

LAVS DEO.

Nihil